


PALAESTRA LATINA

S U M M A R I U M

- | | |
|------------------------------------|-----------------|
| De Orthographia Latina | (JIMÉNEZ) |
| Latina fides | (ACTUARIUS) |
| Duo Carmina Poetae Boemici | |
| J. V. Sladek | (PALATA) |
| Commerciū Epistulare | (CAI.VO et MIR) |
| Sancte Grégori vel Sancte Gregóri | |
| | (JIMÉNEZ) |
| Nova et Vetera: <i>Vehicularia</i> | († JOVÉ) |
| Molae subterraneae | (VIATOR) |
| Aenigmata | (PAOLI) |
| Exercitationes Scholares | (PALAESTRICUS) |
| Per Orbem: De linguae latinae | |
| cultu in Hispania | (JIMÉNEZ) |
| Bibliographia | (MIR) |
| Mirifica Portenta | (MARCOS) |

Ordinarii et Superiorum permissu



Talleres Castellanas, S. A.

(Casa fundada en 1871)

Escultura Religiosa

Exposición y venta: Vía Layetana, 155 - BARCELONA

LIBRERÍA LITÚRGICA

Rafael Casulleras. - Vía Layetana, 85 (antes Claris, 15) - Barcelona

Acaba de publicarse la nueva edición del MISSALE ROMANUM

Detalles de esta nueva edición - 1941 editada en Barcelona

Impresión a dos tintas, clarísima, de tipos grandes y muy legibles. Ilustrada con preciosas láminas. Papel superior. Su tamaño, en pequeño 4.^º (28 x 20 cént.) grueso de lomo que no llega a 5 cent.. hace que sea el Misal preferido por todos, ya que la práctica demuestra sus ventajas sobre otros Misales de los de tamaño 4.^º y gran 4.^º de mayor peso y de más engorroso manejo.

LOS PRECIOS SON LOS SUELTOS:

Encuadernación núm. 1. En tomo piel, llano tela, cruz dorada cortes amarillos, (imitación dorado) o rojos, broches de metal. Ptas. 110

Encuadernación núm. 2. Todo piel achigranada, encarnada o granate, cortes amarillos bruñidos, imitando a dorado, cruz dorada, orla en seco, cintas de seda superior, broches de metal en dorado fino y clavos. Ptas. 155

MISSÆ DEFUNCTORUM - Edición 1940

EX MISSALI ROMANO DESUMPTÆ. ACCEDIT RITUS
ABSOLUTIONIS PRO DEFUNCTIS - Barcinone MCMXL

Impresión a dos tintas, de tipos grandes y muy legibles, ilustrada con preciosas láminas y viñetas. Tamaño en pequeño 4.^º (28 x 20 centímetros)

En tela, cortes rojos, orla y cruz gofrados, cinta de seda, ptas. 15

Idem que la anterior, pero con cruz dorada, ptas. 17

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

PALAESTRA LATINA

SEU DE LATINITATE COMMENTARIUS ALTERNIS MENSIBUS EDENDUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 peseturum in Hispania et Lusitania, 12 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

De Orthographia Latina

Opportunitas - Genera - Principia

Non dubito fore plerosque qui leve et intempestivum autument nos de orthographia latina fusius, quam mos est, in Palaestra nunc agere; tamen tanta est in hac re temporum inconstantia hominumque incuria ut pium sit, non tantum humanum, ratem in alto fluctuantibus solvere.

Sed cum nonnulli, novarum rerum adeo sint cupidi ut quidquid a consuetudine abhorreat id immature probent; nonnulli vero ita litterarum latinarum expertes ut nihil rectum nisi quod ipsorum moribus conveniat, potent, ego, in hac de orthographia latina expositione utrumque scopulum vitare mediamque viam servare curabo. Quare a trita via non prius recedam quam rationes utrinque rite perpendero probatasque ab auctoribus cognovero. Ergo, lector amabilis, si quando consuetudinem tuam offendimus noli novatoris notam nobis inurere. Manum porrectam amanter deosculare atque in hac sententiarum voragine in navem salutis concende.

* * *

Magni momenti est duplex orthographiae genus in lingua latina praestituere, aliud nempe historicum, aliud practicum.

Orthographiam historicam eam dicimus quae ab auctoribus diversorum tractu temporum usurpata fuit et in inscriptionibus et codicibus prostat.

Orthographia practica ea est quae nostris temporibus a probatioribus scriptoribus firmis rationibus et usu constanti sancitur.

Haec ad informationem puerorum adhibeatur atque ad latinum sermonem scribendum non tantum in familiaribus litteris, sed etiam

in scientificis operibus et latinis ephemeridibus nec non et in classi-
corum editionibus ad scholam destinatis.

Illa vero —orthographia historica— ad interpretandos et restituendos auctores in editionibus criticis et scientificis citationibus, in inscriptionibus recognoscendis et ita porro. Huic ergo vacent qui linguae latinae integrum cognitionem in universitatibus litterarum curare debent, quique classicis auctoribus edendis vel disciplinis archaeologicis daturi sint operam.

Exquirere ab omnibus, etiam a pueris, scientiam orthographiae historicae, nihil est nisi confusionem in mentem gerere scientiaeque et usui latinae linguae officere.

Est enim historica orthographia varia nimis et saepe, perinde atque omnia, in annos mutata: quandoque et inter ipsos coetaneos dispars nec semper in uno eodemque momento permanens. Unde alia est scriptura Claudio Caeco, alia Ennio, alia Ciceroni, alia Quintiliano tribuenda.

* * *

Quae cum ita sint ne in scribendo ancipites hinc et illinc agitetur, neque inaequalitate verborum oculi offendantur legentium aut in errorem inducantur animi, principia nonnulla a Luciano Mueller¹ tradita oculis habeamus.

1. In latina lingua sequendus est mos scribendi, qui obtinuit apud cultissimum quemque Romanorum saeculo eo, quod fuit inter Augusti mortem et Trajani (ab a. p. Ch. n. 14 ad 117), proximum illud aureae litterarum latinarum aetati, cuius quidem auctores exceptis, Varrone et Lucretio et Sallustio, qui etiam in orthographia amant archaismos, prope accedunt ad usum scribendi saec. p. Chr. primo. Nam orthographia priorum temporum partim subobscura propter penuriam testimoniorum, partim vetustate horrida, partim a posterioribus saeculis deformata.

2. Ubi duplex constat scriptura, ea est adhibenda quae commendatur soni suavitate, quam Graeci dicunt euphoniam. Hic fuit mos in pronuntiando tum apud veteres tum apud mediaevos ut ex vernaculis linguis satis constat. Quod si fecerimus, Ciceronem latini sermonis arbitrum sequemur, qui dixit in Oratore (48, 160), se in eis, quae aliter sua aetate efferrentur atque prisca, usum loquendi populo concessisse, scientiam sibi reservasse. Scribendum igitur *tempo*, non *temto*, *colligere*, non *conligere*, *causa*, non *caussa*, *tres partes*, non *tris partis*, *quendam*, non *quemdam*.

1 Orthographiae et Prosodiae Latinae summarium. Petropoli anno MDCCCXXVIII.

3. Vitanda, sicut inusitata verba, ita et degener scriptura quanvis vetusta, excepto si ea utaris cum certo et rationabili consilio, velut ad imaginem quandam antiquitatis reddendam aut irridendi causa.

4. Ceterum, quantum fieri potest, scriptura sermoni respondeat. Quintilianum sequamur dicentem: «*Ego, nisi quod consuetudo obtinuerit, in scribendum quidque judico, quomodo sonat.*» (Inst. Or. I, VIII, 30-31).

5. Litteras *v* et *j* retinendas propugnamus ut mos fuit universalis transactis saeculis. Quod si eas renatus tempore inductas dixeris nec ideo a Romanis cognitas, sed cum proprio et singulari sonui respondeant, nescio cur a litterarum latinarum serie rejiciendas.

JOSEPHUS M.^a JIMÉNEZ, C. M. F.

Barcinone, pridie idus februarias.

Latina fides

Mense Januario currentis anni «*Latina Fides*», latinitatis paeconium Presbyterorum Missionum opera estudio tertio quoque mense edendum Tunquae in Seminario Columbiano primum apparuit.

Pes, manus, immo et anima novi commentarii latini est R. P. Alfonsus M. Navia, Professor in Tunquinensi Seminario, in mundo litterarum maxime notus ex opere recens edito «*La pronunciación clásica del Latín*». PALAESTRAE nostrae persimilis, «*Latina Fides*» cultum linguae latinae praesertim in America Septentrionali curabit.

Et optimo quidem consilio, nam recrudescente europaeo discrimine, quamvis commentarii latini qui apud nos eduntur —«*Alma Roma*», «*Societas Latina*», PALAESTRA LATINA—, non corruerint (noli in hac re «*Latinae Fidei*» fidem dare), tamen ut nunc commercium cum America magis in dies minuitur mariumque perturbaciones augentur, desiderabatur quidem in Americae civitatibus latinus commentarius qui sacrum in humaniores litteras ignem indesinenter altili pabulo nutriret.

Cmo. Alfonso Navia, Moderatori, collegis omnibus ex animo gratulamur fausta que omnia ominamur.

ACTUARIUS

D U O C A R M I N A
POETAE BOHEMICI J. V. SLADEK
(1845-1912)

1. *Reditus ad Patrem*

*Ex gremio Domini, vespere cuncti
in gremium rursus conveniemus idem.
Num quis erit, reditūs quem terreat hora propinqua?
Num quis erit, cuius membra pavore tremant?
Sedibus e patriis, patris nos dextera misit
in varias partes orbis inire viam.
Non longe peregrinari, sed per breve tempus
nos voluit. Nunc quis sit rediisse timor?
Triste fuit nobis iter illud senteque plenum,
nunc at abire licet tempus in omne domum.
Frigore jam nunquam nos extera terra necabit:
in Domini num quis sit metus esse sinu?*

2. *Non sumus deserti*

*Desertos num quis nostrūm nos undique dicit,
asseclis orbos atque satellitibus?
Qui libertatem legesque tuetur avitas,
nobiscum semper consociatus erit,
Cujus constringit collum nodosa catena,
quem fastus petulans ambitioque premit,
cui sedare famem vel parvo pane negatur:
luctam nobiscum junctus inire cupit.
Audax cui cor inest sub pectore, luminis ignis
ingenuos mores arguit atque fidem.
qui fastidit eos, qui vim rabiemque minantur:
nobiscum junctus statque caditque simul.
Humani juris vexillum surgit ad auras:
hoc — licet — immritis detrahat hostis humum!
Unā delapsum dextrā si corruat unquam,
rursus festinet mille levare manūs.
Desertos num quis nostrūm nos dicit et orbos?
Partibus a nostris stat probitas et honor.
Multi sunt nobis fratres in qualibet orā:
hos accire datur protinus auxilio.*

VERIT FR. PALATA, MORAVUS

Commercium Epistulare

Fratri carissimo Josepho M.^a Mir, C. M. F.

Carissime Pater: salutationem praemitto, optima quaeque tibi exoptans. Deinde si lucialiter a te quaero, 1.^{um} Quid tibi de «piis» mendis, h. e., de mendis grammaticalibus quae piis supplicationibus non raro sed passim irrepserunt? Nonne impia videntur et corrigenda? Exemplum: casui dativo mandare subjectum «ad quem» earundem supplicationum, loco accusativi cum *ad*.

2.^{um} Attamen quae in Litaniis Sanctorum vi usus, tractuque temporum, praevaluere diafoles —*Sancte Gervási et Protási*, *Sancte Gregóri*, *Sancte Ambrósi*— servanda videntur in recitatione, usquedum Ecclesia, Mater et Magistra, Magistra quoque in dicendo, discernendo et opportune corrigendo, aliter edoceat per consentaneam in liturgicis et typicis editionibus accentus notam. Haec eadem mihi quondam visa fuit sententia laudandi P. Emm. Jové. Annon et tua convenit? Faveas enodare quaestionem; teque grato animo prosequetur tuus in Corde Matris obsequens et additissimus.

PHILIPPUS CALVO, C. M. F.

Philippo Calvo clmo. Rectori Josephus M.^a Mir, C. M. F., sal.

Jam diu est cum meam sententiam expostulaveras ac denuo per tuas mihi pergratas litteras —utpote a carissimo fratre, socio et moderatore missas— idem a me rogas, de recto scil. casu adhibendo cum ad Sanctos deprecationes nostras fundimus. —Verene latine loquimur—interrogas—cum dicimus: «Ter Ave-Maria Purissimo Cordi Mariae, ter Pater Sancto Joseph, vel Bto. P. Fundatori nostro?»

Notandum in primis —tua venia— hunc frequentem esse usum in cottidiano et familiari sermone; casus scil. ellipsis verborum, qua multum sive antiquae sive hodiernae linguae abundant. Sic cum trahaculum arripere vis, accedis ad tessera-riam et ais: «tres tesseras secundae [praebe mihi ut eam] Barcinonem»; cum ab amico petis clavem, rogas: «affer mihi» [clavem]; dixeris pariter cum Vergilio: «Quos ego». Divisiones ellipsis plures esse possunt, quas —et exempla plura—, si vis, recolere valebis vel apud Brugmann (*Abregé de Grammaire comparée des lang. indo-europ.* 1905, 936 sq.) vel apud H. Frei (*La Grammaire des fautes.* 1929, p. 120 sq.)

Quodnam igitur verbum elisum sit scire oportet, ut casum regiminis pariter dignoscere valeamus. In casu a te allato adest etiam vera ellipsis, uti vides: «deprecatio, preces ad Btam. Virginem, ad Sanctum Joseph», cet. Nunc igitur —postulas— dativum aut accusativum usurpare oportet?

Scimus accusativum —praeter alias significationes— motum, directionem, scopum designare, ad quem verbi actio fertur, ac notionem motus per quem duae res inter se velut appropinquare videntur, per praepositionem *ad* significamus. Dativus vero rem seu personam innuit in cuius commodum vel incommodum actio redundat. Cum igitur orationes ad Sanctos fundimus scopum seu terminum significare

possumus. eos scil. *ad quos* preces quasi mittimus ut eas ad Deum offerant et in commodum nostrum deveniant, vel etiam *in quos, in quorum honorem* preces expromimus, et tunc dativum usurpabimus.

Pro usu accusativi, —quem tu propugnas et est certe optimus— habes exempla: «*Ad Caesarem meam causam agas*» (Vatinius Cic. Fam., 5, 10); *Quaeri ad senatum*, (BELL., afr. 97, 3); *nuntiare, scribere ad aliquem*. «*Habeo absolutum suave ſπος ad Caesarem*» (Cic. Q. Fr. 3, 96). Recole praeterea locutiones: «*Rhetorica ad Herennium, liber epistularum ad Atticum, ad familiares, ad Brutum, oratio ad Quirites, epistula ad Romanos*», cet.

Pro usu vero dativi—qui improbandus non videtur—habes monumenta innumera et inscriptiones, in quibus semper dativus casus invenitur: «*Deo optimo maximo, Jesu Xto. hominum Salvatori; Caesari Augusto, Ciceroni imperatori*». In his omnibus verbum *dicare, offerre, similia* desunt seu eliduntur, quae dativum postulant.

Plura invenies poëtarum exempla, qui directionem saepe dativo notant casu: «*Multos Danaum demittimus Orco*» (VERG., Aen., 2, 398); «*palmas caelo tendere, solo effundere, humo spargere, fluvio projicere, alto despicere, facilis descensus est Averno*» (VERG., Aen., 6, 126). Quae quidem poëtice sunt dicta et parce imitanda, non tamen forsitan ominino improbanda; quare si hac usi facultate vel potius quia preces nostras Deo aut Sanctis *dicare, offerre* velimus, *dativo* utemur; at vero si, ut generatim accidet, terminum seu scopum *ad quos* deprecationes *mittimus*, significare optamus, *accusativum* usurpabimus.

In iis et similibus magna scriptoribus relinquenda facultas, nam saepe duae formae adhiberi possunt, sic dixerat Tullius: «*Librum, quem ad te misi de Concordia, velim mibi mittas*» (Cicc. Att. 8, 12). Ut haec absolvam audi clarum Despauterium: «*Quo modo differunt: Do tibi epistolam, et do ad te epistolam? Do tibi epistolam ut feras ad aliquem, do ad te epistolam, ut legas*. Cic.: «*Dedi illi ad te epistolas*». «*Litteras per tabellarium ad te Florentiam dedi*». Pulcre dixit, Florentiam dedi. Suntne in quibus pro eodem dicimus *tibi* vel *ad te*? —Etiam: *Ut mitto tibi* vel *ad te litteras*; *Scribo tibi* vel *ad te litteras*; *respondeo quaestioni* vel *ad quaestione*. Plinius libro secundo: «*Cum ad eos brevissime respondissem*. Cic. lib. I epist. fam.: «*Rogas ut tibi mea scripta mittam*», sic idem persaepe. Frequentius tamen: *Mitto ad te*. (Despaut. Synt. p. 351).

Ad secundum tuum quaesitum non est cur tibi prolixius respondeam cum ipse videris duas sententias expositas et argumenta in PALAESTRA LATINA, n. 11, p. 18, quam secutus est P. Navia in libro *La pronunciación clásica del latín*, n. 231. Si vetustatem amas, haec vocativa corripies; si usum sequi mavis produces, hujusque sententiae argumenta allata videbis in hoc fasciculo a socio et moderatore nostro carissimo Jos. M. Jiménez. —Neque igitur tibi exprobandum quod Sancte Gregóri, s. Ambrósi dicas, nec socio tuo qui aliter proferat. Et de his, o bone rerum, sancta mater Ecclesia, quae in disputatione hominum esse possunt saepe saepius silet aut eruditis praecipuas partes tribuit et conscientiae reliquit; alioqui si nimium protrahas argumentum, menda, quae in Breviariis et liturgicis libris forte irrepserunt,

necessario retinere deberemus, quod omnino absonum et criminosum videtur; neque una et constans in omnibus est scriptio, sic in verbis: intellego, exsilio, eundem, cet.

Tandem de illis «piis mendis» de quibus sermonem facis, nonne juxta argumenta quae proxime in PALAESTRA LATINA proferam, ea quae pluriens recitasti: «Ut parentes et fratres cuiuscumque nostri», nonne certe emendanda videntur? Juxta enim Grammaticos, pronominaibus partitivis adjungitur genetivum *nostrum* non vero *nostri*.

Haec animo cogitabis, dum tibi omnia fausta et optima adprecor.

Meo nomine salutabis amicos multumque valebis.

Barcinone, V Kal. Januarias.

Responsorium

Sancte Grégori vel Sancte Gregóri?

QUAESTIO.—Quendam litanias Sanctorum in Ecclesia recitantem audivi contra consuetudinem fere omnium dicentem: «Sancte Grégori, Sancte Ambrósi». Nonne vere erratum protulit?

RESPONSUM.—Rem nequaquam novam, sed jam prius inter veteres grammaticos et scriptores renatus temporis agitata suscitasti.

Desideratissimus Jovaeus (in PAL. LAT. an. II. n.º 11, pag. 17-20) disertissimam habuit disquisitionem, quae paucis absoluta, ita se habet:

«1.º Acuenda antepaenultima syllaba in hyperdissylabis quorum paenultima est brevis.

2.º Perperam antiqui et recentes acuerunt, contra classicorum usum, syllabam paenultimam brevem in vocativis nominum propriorum factis in *i* per abscisionem *us*.

3.º Consuetudo inveterata *Grégori* et *Ambrósi* vocativos in Sanctorum litanis consecrata credebatur.

4.º In iis etiam consuetudo illa retractata esse videtur in typica Breviarii Romani editione, quam retractationem lectors nostros sequi suaserimus».

Tamen sententiam meam, qualiscumque sit, paucis etiam contracta verbis, libenter aperiam.

1.º Priscianum (Ptis. 739 cfr. Keil, I, 302) Grammaticum in primis audiamus». In abscissionibus si ea vocalis in qua est accentus integra manet, servat etiam accentum integrum

Ergo	Aemilius < Aemilii < Aemili	Mercúrius < Mercúrii < Mercúri
	Valérius < Valérii < Valéri	Vergilius > Vergili < Vergili.

Et simili ratione dicemus

Gregórius (γρηγόριος, vigilans) < Gregórii < Gregóri.

Ambrosius (α priv. + ἀρότος, mortalis) > Ambrósii < Ambrósi.

2.º Nobis non later Nigidii Figuli sententia, qui ut testatur Aulus Gellius Váleri cet, acuebat in vocandi casum. Sed haec sententia doctrina fese omnium grammaticorum veterum rejecta est; immo et juxta ipsum Gellium, si quis nunc Valerium appellans in casu *vocandi*, secundum id praeceptum Nigidii acuerit primam, non aberit quin rideatur» (Noct. Att. XIII, 25).

3.º Quod si verba Nebrissensis objiceris, «tantum Nigidio tribuo ut libentius velim cum eo errare quam cum omnibus grammaticis verum dicere (Commentarii grammat. De accentu except, a reg. tert.) ego verba illa Ciceronis in medium adferam «se in eis, quae aliter sua aetate effarentur atque prisca, usum loquendi (dic, et azuendi) populo concessisse, scientiam sibi reservasse» (De Orat. 48, 160) Jam vero, quis negat communiorum usum fuisse Sancte Grégori, Sancte Ambrósi dicere?

4.º At in typica editione Vaticana Grégori invenimus. Hoc tamen si vere in Breviario Romano typis poliglotis Vaticanis Romae anno MCMXIV edito accedit, nunc vero in posterioribus editionibus ad communiorum usum ventum est, atque non amplius *Gr'gori* sed *Gregóri*, iterum invenies.

5. Ceterum etsi principium a Prisciano tradito corrueret. Despauterii et Ricciolii testimonia existant, quorum haec sunt verba: «Nolim, inquit Despauterius, ecclesiasticum canticum immutari». (1) Ricciolius clarus ait: «Ego consuetudini a plerisque doctis jam toleratae in sacris litanis indulgendum arbitror». (2)

Ergo mea quidem sententia restius dices Sancte Grégori, Sancte Ambrósi quam Sancte Grégori, Sancte Ambrósi.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) Comment. Gramm. De accent. initio. — (2) Pros. Bonn. Ind. secundus syllab. contror. *Gregori*.

Nova et Vetera


Vehicularia

Autobús. — CIRCUMVEHĀ·AE < *circum*, al rededor; *veho*, llevar a cuestas = coche de circunvalación. Vid. *omnibus*.

Automóvil. — AUTOMULUS < *αὐτός*, ipse, él mismo; *μολεῖν*, tendere aliquo, dirigirse hacia. Dicere etiam potest AUTOMOBILEM, supplendo currum, ex *auto* et *movibilis* contractum in mobilem.

Berlina. — BEROLINIA. Subauditur *raeda* (coche). Nomen sumitur a Berolinia civitate ubi primum haec *raeda* adhibita est.

Bicicleta. — BIROTA < *bis*, dos; *rota*, rueda. Dicitur etiam BICYCLUS a *bis* et *χύκλος*, círculo.



1	<i>Biela</i>	biella	13	<i>Horquilla</i>	furcula
2	<i>Bocina</i>	bucina	14	<i>Llanta</i>	canthus
3	<i>Bolsa</i>	ferramentaria bursa	15	<i>Mango</i>	capulus
4	<i>Cadena</i>	catena	16	<i>Muelle</i>	tendiculum
5	<i>Caucho</i>	quajacum	17	<i>Neumático</i>	pneumaticum
6	<i>Cuadro</i>	quadrum	18	<i>Pedal</i>	pedale
7	<i>Cubo</i>	modiolus	19	<i>Piñón</i>	dentata (rota)
8	<i>Farol</i>	laterna	20	<i>Radio directo</i>	radius directus
9	<i>Freno</i>	frenum	21	" <i>tangente</i>	" tangens
20	<i>Fuelle o bomba</i>	antlia	22	<i>Rueda</i>	rota
11	<i>Guardalodos</i>	luticipulum	23	" <i>directrix</i>	rota rectrix
12	<i>Guía</i>	flexorium	24	<i>Sillín</i>	sessibulum
			25	<i>Válvula</i>	valvula

Camión. — AUTOTRAHA < *αὐτός* et *traho*, llevar arrastrando. Quamvis enim reapse non trahitur humi, sicut olim *trahae currus*, sed potius rotis volvatur; tantum est in eo ponderis, quod super rotas impendet, ut oculis trahi videatur.

- Carretilla.** — CARRULUS quasi parvus carrus. Recte quoque dices VECTACULUM.
- Carretón.** — PLOSTELIUM (*parvum plastrum*). Vide verb. sequens.
- Carro** (vulgar). — PLAUSTRUM. Vehiculum magnis oneribus ferendis aptum, praesertim apud rusticos. (*Forcelini*).
- Carromato.** — SARRACUM. Cic. Fragn. in Pis. Cum tibi tota cognatio in serraco advehatur. Ubi Quint. 8, 3. notat sordidum hoc nomen esse, sed Cicero ideo usurpasse ut contemptum hominis augeret, quem destructum volebat.
- Carroza.** — CARRUCA. Genus vehiculi tum extra in itineribus adhibiti et non solum a viris (praesertim honoratoribus) sed etiam a feminis Plin. 33, 11, 40. Carrucas ex argento caelare. Suet. de Nerone. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur. Mart. 3, 62: Carruca aurea.
- Coché.** — RAEDA-AE (non rheda) —de un tronco — biga-ae — de dos troncos — quadriga-ae, etc.
- Coché funerario.** — PILENTUM. Liv. 5, 25. Pilento ad sacra ludosque utebantur.
- Landó.** — PETORITUM. Festus ait: Petorium Gallicum vehiculum esse et nomen ejus dictum existimat a numero quattuor rotarum (Forcellinus).
- Metropolitano.** — METROPOLITANUM. A vocabulis μέτρον mensura, πόλις, civitas. Quasi civitatem metiens vehiculum sonat, quod verbum utique subauditur.
- Motociclo.** — MOTOCYCLUS. Vox hybrida e latino motore et Graeco vocabulo κύκλος (circulus). Vehiculi genus actum motore atque bicyclo validius. (Vid. Bicleta).
- Omnibus.** — TRANSVEHA. Trans (al otro lado), veho (arrastrar). Cfr. Circumveha, atque animo adverte discriminem praepositione institutum.
- Sidecar.** — TRICYCLUS. Compositum ex tris, κύκλος. Numero rotarum a motocyclo distinguitur.
- Submarino.** — SUBMARINUM. Sub (debajo) et mare. Subauditur navigium.
- Tanque.** — ESSEDUM. ἄσσω cum impetu ferri. Vehiculum scribit Forcel., vehendis quidem hominibus oneribusve aptum, sed a Gallis praecipue Britannisque usurpatum in bello, cum ex eo pugnare soliti essent.
- Tartana.** — CARPENTUM. Dicit originem a carpo. — Genus vehiculi cuius forma varia fuit, quemadmodum apud nos currus et raedae. (Forcel.).
- Tranvía.** — ELECTRIVEHA. Ab electride et vevo. Vehiculum electride actum.
- Tren.** — TRAHACULUM. A traho et particula locum receptivum indigitante «culum». Cum prima pars hujus vocis a praesente originem dicit, atque altera pars quicquam passivum significat, sensus vocis integer est: «Vehiculum trahens atque insuper tractum, seu trahens quoddam receptaculum».
- Coché.** — CURRUS. «Vehiculi genus -sunt verba Forcel.- hominibus per urbem aut in itinere rehendis aptum».
- Locomotora.** — VAPORITRAHA. E vapore et traho. Nota ejus discrimin ab Electriveha.
- Vagón.** — CARRUS. Iterum Forcel. «Genus vehiculi oneribus vehendis aptum».
- Trineo.** — TRAHA. Idem Lexicographus: «Est instrumentum quo veteres super glaciem utebantur».
- Vehículo.** — VEHICULUM Etiam Forcellinius: «Plaustrum vel currus ad rehendum aptus».
- Vagoneta.** — VEHELA Quasi parva vehes.

† EM JOVÉ, C. M. F.

MOLAE SUBTERRANAE

SCAENA OCTAVA

Numida (*situs*)

Zibilonem... tale non est ejus nomen... ah nunc Zalobonem... recte, recte Zalobonem... quam nobile nomen Zalobonis... et cum pecunia me citissime abdam in Africam intimam... dives ero... ipse jubebo — nitida casa erit mea multique servi, quos nisi mihi dicto audentes fuerint... (*inficit vulnera; bibit*). At quantam vini excellentiam! Ex quo singulis diebus potabo cadum (*potat*); irrepit in oculos sopor... (*considit*) Addamus guttulam (*bibit, obdormiscit, somniet*). Probe!.. Caecilius? Quam dire me intuetur!.. Filius tuus? nescio ubi sit... Quaere eum. (*expergiscitur*). Apage, somnia nefanda!.. Sed quanto aestu caput meum inflammatur!.. (*surgit*) Omnia perturbata versantur in circulo!.. Quantos febrium horrores!.. Muri vacillant... Terra decedit sub pedibus meis... Oh, quam diros dolores corporis! Vinum exsecrandum!.. Non jam possum consistere. Quantos cruciatus!.. Deliro mente alienatus... (*voce submissa, genua flectens*) Subvenite, custodes... Metranel... nescio; an potui admixtum sit venenum... Prodiderunt me... suffocor... Auxiliaminil... (*operam dat, ut ad januam arrepat*) Festimate! Oh, hei vael (*suspria, spiritus graves*). Cunctis imprecor diras. (*immotus, cum esset morte correptus, jacet prope clatros*).

(*Aulaeum premitur*)

ACTUS QUINTUS

(*apparatus scaenae idem atque in actu quarto*)

SCAENA PRIMA

Numida, (*humus prostratus*) **Caecilius**,
Narses, Valens (*caute ingredientes*)

NARSES. — Quantos clamores nocte praeterita? Vae, quem video? Numida!

(*percutit eum*). Se movet nihil!

CAECILIUS. — Quid rei accidit?

NARSES. — Mortuus jacet.

CAECILIUS. — (*terrefactus*) Numidam misserrimum!

NARSES. — (*genua flectit*) Iognosce, Domine, proditori meo!

VALENS. — Deus judicavit.

NARSES. — Numidam miserandum! Quam terribilis fuit ejus mors!

CAECILIUS. — (*se adjungit Valenti*) Timeo mortuos.

VALENS. — Nil timueris! Vivus affectit nos miseris, minime quicquam nobis nocere poterit mortuus. Ipse hoc me misit. Ego, dum unumquemque angulum Romae pervestit, per noctis tenebras redii ad castra praetorianorum Bombax, subito figura (*monstrat dextra corpus Numidae*) ista nefanda coram me apparuit. Raptim eam irrui; jamjam capturus eum eram ad januam cauponae cuiusdam vinariae, cum ut arte quadam magica instructus subito mihi evanuit. Invasti in cauponam; at, cum janua caduca sub pedibus meis aperta esset, decidi in hanc voraginem.

CAECILIUS. — Deus ipse hoc ita disposuit, ut me afferres patri.

VALENS. — Profecto, recte dixisti. At nunc nobis est meditandum, quomodo ex hac cella subterranea effugiamus! Dixisti Narses de consilio quodam...

NARSES — Duxi, sed successus erit incertus et conatus difficilis.

VALENS. — Explica!

NARSES. — Ex quinquennio versor hic neque unquam has cellarum cameras permeans intermisi, quin quaererem effugium. Pervestigavi frustra. Muri aedificantur grandibus saxis granitis sine ulla foraminibus vel fenestris. janua vero semper obcluditur. Ali quando vespera requiescendi causa cubui hic; fortuito aperueram ocu-

los, cum subito animadvertis illam camerae fissuram (*fisuram partis laevae ostendit*) et lapides, cum calx peresa sit umoribus, cessisse videntur; inspice quaeso ipse! (*adit ad locum designatum, Valens et Caecilius eum sequuntur et observant*)

VALENS. — Recte indicasti; concameratio non est nimis alta; nonne conatus instituisti?

NARSES. — Fieri potuit minime; neque ex hoc loco infimo innexus meis solius viribus lapides effringere possum et servus cui confisus essem consilium, periclitatus esset rem arcam. A providentia divina exspectabam, quo momenio in caelo constitueretur, ut hinc evaderem.

A. ERBM. VIATOR. S. V. D.
(*sequetur*)

Aenigmata

1. Virtutes magnas de viribus offero parvis:
Pando domus clausas, iterum sed claudio patentes;
Servo domum domino, sed rursus servor ab ipso.
2. Gleba mihi corpus, vires mihi praestitit ignis;
De terra nascor, sedes est semper in alto;
Rore ego perfundor, sed me cito deserit umor.
3. Sunt mihi, sunt lacrimae, sed non est causa doloris.
Est iter ad Caelum, sed me gravis impedit aer;
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.
4. Est domus in terris, clara quae voce resultat;
Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes.
Ambo tamen currunt, hospes simul et domus una.
5. Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta;
Pes solus est unus, sed pes longissimus unus;
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

U. H. PAOLI.

*Quinque erant fratres:
duo barbati,
duo sine barba nati.
alter qui remanebat
dimidiam barbam habebat.*

Solutio: Rosam e viridario collige; penitus ex ea «petala» odorantia evelle, stemma quinque viridibus foliis habebis; duo utrumque filamentis circumdata, duo iisdem omnino orbata, reliquum ex parte tantum, ut in imagine videbis.



Exercitationes Scholares



1. España Romana

<i>llegar a ser</i>	evadere, si, sum
<i>Reinosa</i>	Juliobrigia. ae
<i>Calahorra</i>	Calagurris, is
<i>Tajo</i>	Tajus, i
<i>Guadalquivir</i>	Betis, is
<i>Sevilla</i>	Hispaiis, is
<i>regar</i>	irrigare
<i>pasar</i>	decurrere
<i>llegar</i>	pervenire
<i>Tortosa</i>	Dortosa, ae
<i>Toledo</i>	Toletum, i
<i>Córdoba</i>	Corduba, ae
<i>dominación</i>	imperium, ii
<i>lengua romance</i>	vernacula lingua


Los romanos vinieron a España y después de muchas guerras y batallas, España llegó a ser una provincia romana, dividida en dos grandes regiones; la España Citerior y la España Ulterior. Riega a la España Citerior el Ebro, río que nace (*oritur*) en Reinosa, pasa por Calahorra y Zaragoza y llega hasta Tortosa. La España Ulterior está regada por el Tajo, que pasa por Toledo, y por el Guadalquivir que pasa por Córdoba y Sevilla. Durante la dominación romana se introdujo (*inducta est*) en España la lengua latina, de la cual se derivan (*provenire*) las lenguas romances de nuestra península.

2. Ventajas de la lengua latina

<i>Permagnus</i>	<i>muchissimo</i>	<i>praestantia ingenia</i>	<i>aventajados talentos</i>
<i>disciplina, ae</i>	<i>asignatura, ciencia</i>	<i>latino sermone</i>	<i>en latin</i>

Latinae linguae permagna sunt utilitates. et ad loquendum et ad recte sentendum. Est enim ea veluti thesaurus quidam omnis eruditionis; quoniam magna et praestantia ingenia latino sermone disciplinas omnes conscripserunt, ad quas nemo potest pervenire nisi per linguae illius cognitionem. (Vives).

**Cito scribendo non fit ut bene scribatur;
bene scribendo fit ut cito** (Quintil. X, 2, 18)



3. Los perros

<i>ladrido</i>	<i>latratus, us</i>	<i>guardar custodire</i>
<i>insobornable</i>	<i>incorruptibilis</i>	<i>fincia villa, ae</i>
<i>centinela</i>	<i>excubitor, oris</i>	<i>rebaño pecus, oris(n)</i>
<i>vengador</i>	<i>ultor, oris</i>	<i>guardián custos, odis</i>

Muy erróneamente llamamos al perro «guardián mudo», pues nadie anuncia la presencia del ladrón con más audacia y claridad que el perro con sus ladridos. Ningún criado es más amante de su señor, nadie más fiel compañero. El perro es el mejor de todos los guardianes. No hay centinela más vigilante, ni vengador más pertinaz. Por eso (*quare*) un buen perro es para los labradores el mejor de los tesoros: él guarda las fincas, los frutos y los rebaños.

PALAFSTRICUS

Per Orbem

De linguae latinae cultu in Hispania

1) *Lingua Latina in Institutis Studiorum Mediorum seu publicis Gymnasiis.* — In Hispania anno jam 1901 Lingua latina exulatum ibit cum novus studiorum ordo promulgabatur, in quo, auctore C. Romanones publicae institutionis praefecto, linguae latinae alterna tantum schola duobus primis cursibus data est. Sed hoc pacto, pueri qui publica tantum gymnasia frequentaverint, quomodo Linguam Latinam callere possent? Hoc enim quid aliud erat quam caelum jaculari aut lanam ab asino petere? Unde non immerito Andreas Haberl haec in «Alma Roma» scribebat (a. 1922 p. 12): «Ridiculum sane est quantulum spatiū temporis, v. gr. Hispanus tribuat linguae Latīnae.»

Adde quod plerumque nec copia dabatur operum scholasticorum vel si dabatur, iis virtutibus carebant quibus lingua latina facilior et jucundior reddetur. Quid ergo mirum si maxima pars juvenum, publicis tentaminibus superatis, nihil erga linguam latinam nisi aversionem servaverint?

Sed faciliter ab anno 1934 error aliquatenus emendatus est. Tunc enim, nova studiorum ordenatione facta, Latīnae linguae scholae ita se habebant.

a) *Alumni IV cursus:*

- α) Scholae: sex in hebdomadā.
- β) Doctrina: morphologia regularis, summaria syntaxeos principia.
- γ) Auctores: Epitome historiae Graecae, Romanae historiae compendium (Lhomond).

b) *Alumni V cursus:*

- α) Scholae: sex in hebdomadā.
- β) Doctrina: morphologia irregularis, syntaxeos praecepta.

- γ) Auctores: Phaedri fabulae, Caesaris commentarii, Ciceronis epistulae.

c) *Alumni VI cursus:*

- α) Scholae: tres in hebdomadā.

β) Doctrina: quaestiones selectae grammatices.

γ) Auctores: Ciceronis orationes, Vergili Georgicon et Aeneidos frusta selecta.

d) *Alumni VII cursus:*

- α) Scholae: tres in hebdomadā.

β) Auctores: Ovidii, Catulli, Martialis, Horatii opera selecta.

Jam ergo cognitio linguae Latīnae ad gradum quendam perfectionis deduci poterat; usum tamen Latīnae linguae non nisi praestantiores quidam alumni adipiscabantur.

Postea in nova ordinatione studiorum gymnasialium, Sainz Rodríguez Administratio Institutionis Nationalis, primas dabatur linguae latīnae, quippe cui per septem annos vacare opus erat antequam ad pericula generalia adirent futuri baccalaureati.

Ordo vero linguae latīnae tradendae in quaestionario oficiali anno 1939 mensē majo promulgato invenitur hac ratione dispositus:

ANNO I. — a) *Grammatica:* Pronuntiationis et flexionis tum nominum, tum verborum praxis — Praepositionum, adverbiorum praecipuorum series. — Compositionis et derivationis vocabulorum principia.

b) *Auctores:* Sententiae et narratiunculae ex classicis scriptoribus faciliiores. — Opera quaedam ad alumnos primi cursus confecta, ut puta Historiae Sacrae Compendium, Epitome Historiae Graecae.

ANNO II. — a) *Grammatica;* Totius Morphologiae regulae generales et casus speciales. — Syntaxeos summa capita.

b) *Auctores:* Eutropius, Nepos, Phædrus in alumnorum secundi cursus appetati.

ANNO III. — *Grammatica:* Morphologia latīna iterum compendiose tradatur. — Doctrina de compositis et derivatis.

— Syntaxeos doctrina et praxis. — Prosodiae Latinae principia.

b) *Auctores*: Caesaris de bello Gallico. — Ciceronis Epistulae; Catulli et Ovidii selectiora.

ANNO IV. — a) *Grammatica*: Graeco-latina flexio. — Totius syntaxeos conspectus. — De verborum subordinatione doctrina. — Verba dicendi seu locutio non recta. — De numero oratorio. — Latinae metricae principia (de hexametro et pentametro).

b) *Auctores*: Caesar, Cicero (ex. gr. de Senectute, de Amicitia, Tusculanae disputationes), Vergili Bucolicae.

ANNO V. — a) *Grammatica*: Universae Grammaticae doctrina in ipsis auctoribus, data occasione, in memoriam revo- cetur.

b) *Auctores*: Ciceronis orationes (ex. gr. pro Milone, pro Archia, contra Catilinam), Vergilii Aeneidos vel Georgicorum sive liber quidam sive selectiora loca.

ANNO VI. — a) *Grammatica*: Repetitio generalis data occasione. — Doctrina de consecutione temporum. — Metrica lati- na praesertim ex Horatii carminibus de- prompta.

b) *Auctores*: Sallustius, Livius, Horatius p̄ae primis; sed praeterea Seneca, Quintillanus, Martialis et Lucretius.

ANNO VII. — a) *Grammatica*: Sicut anno superiore.

b) *Auctores*: Tacitus et Horatius. — Ex Plinii, Columellae, Varronis, Plauti, Terentii frusta selecta. — Inter Christianos scriptores Prudentius maxime com- mendatur.

2) Lingua Latina in Seminariis, Lyceis et Universitatibus ecclesiasticis.

Eph̄ebi qui in Seminariis et Lyceis informantur, latinam linguam sancte religioseque colunt eo nempe fine ut non tantum scientiam, sed et usum quam ac- cūratiissime percipient. Informatio humaniorum litterarum quinque curriculis completur; sed inter alias disciplinas La- "tina lingua primatum obtinet. De non- nullis collègis et seminariis scimus lin-

guam Latinam frequentibus collationi- bus et colloquiis exercitari.

Apud nos usus linguae Latinae adhuc viget.

«*Ordo enim Studiorum Generalis*» pro Missionariis Claretianis adprobatus haec in art. 97 statuit pro inferioribus Gym- nasiis: «*Ut Latinum sermonem veluti fa- miliarem omnes habeant sive in legendis classicorum libris, sive «loquendo» et «scri- bendo».*»

Praeterea professores superiorum fa- cultatem vi art. 146 sermone uti Latino coguntur in tradendis disciplinis, iis sal- tem quae primariae vocantur. Quae pra- xis in aliis quoque regularium et saecu- larium Lyceis et Universitatibus Hispanis ab antiquo servatur.

Quod ad nos — Claretianos — sese re- fert, nihil facimus nisi placita conditoris Patris B. Claret obsecundare, qui haec notanda verba scriptis mandavit: «*Latina lingua a nonnullis inter mortuas linguas recensetur, sed ecclesiasticis scholasticis viva est habenda et adhibenda. Unde latine loqui assuescant praesertim in aulis, in deambu- latione, in tentaminibus, in coelibus ad gra- dus et munera ecclesiastica capessenda».* (Episcoporum Stimulus, App. III, cap. 3 De lingua Latina pag. 182 Matriti 1934. 4.ª Ed.)

Alia auctorata testimonia praeteribo: his enim satis est.

3) *Quid in Hispania praesertim decennio ultimo transacto (1930-1940) pro cultu latinae linguae actum est.*

A) *Classicorum collectiones*. — Hujusmodi collectiones exiguum apud nos favorem recipiunt. Edita sub fine transacti saeculi volumina «Bibliothecae classicæ», collectiones quae his temporibus incoep- tae sunt, fere non natae appellari pos- sunt. Inter eas recensentur volumina quaedam Biblioth. Class. «Voluntad» (cf. PALESTRA LAT. a. I, p. 79). Biblioth. Scholaris Verolensis; Biblioth. Class. «Emerita», Biblioth. Christiana dicta «S. Pacià» (cf. PALESTRA LAT. a. I, p. 16, 62, 143). Optimum successum habuit inter Catalaunos Biblioth. Classica «Fundació

Bernat Metge, quae Barcinone plux CX volumina praecipuorum scriptorum tum Graecorum tum Latinorum duplici lingua originali nempe et catalaunica ante hos perturbationum annos ediderat.

Nec dessunt laudabilia consilia et conatus. Ipse publicae informationis minister propositum manifeste declaravit constituendi Coetum clariorum viorum ad edendos in Hispania auctores classicos.

Nos ipsi PALAESTRAE LATINAE conscriptores momenti concii et inopiae editionum classicorum in scholis adhibendorum, editionem Class. scholarem adgressi sumus. Parvum opus, sed magni momenti.

B) *Collationes publicae*. — Hae scientificae collationes, de linguae latinae studiis, quae hominibus et diebus alibi frequentes evaserunt, apud nos rarae sunt et numerabiles. Quaedam tamen innuam quae in Caesaraugustana universitate currente anno MCMXXXVIII celebratae sunt.

Dr. Antonius Grieria,¹ scriptor et philologus egregius disseruit de J. Ludovico Vivete, de Isidoro doctore et de quibusdam quaestionibus institutionis classicae in Hispania magni momenti.

Dr. Paschal Galindo dissertationes aliquas habuit in quibus Augusti Imperatoris memoriam recoluit occasione anni millesimi ab ejusdem nativitate.

Prof. A. Cayuela S. J. de Vergilio poeta dissipissime locutus est et de Clmo. viro Menéndez Pelayo litt. Classicarum autore amatore indefesso.

Nunc de collationibus agerem. Caesaraugstae anno transacto habitis occasione Hebdomadis augustae; sed ne longius procedam rem ad aliam PALAESTRAM differam.

C) *Bibliographia classica*. — Non omnia intendo proponere volumina quae ad cultum Litt. Lat. sese referunt, uti ea quae sub auspiciis «Coetus Matritensis pro studiis historicis» edita sunt vel quae continentur in sectione philologica et archaeologica «Instituti pro Studiis Catalaunicis» vel quae sumptibus «Officinae Romanicae» (Barcinone, Durán y Bas, 11) typis mandata fuerant (cfr. PAL. LAT. a. II, p. 62). Extat Davidis Rubio O. S. A. opus cui titulus «Classical Scholars hip. in Spain. Washington D. C. (pag. 202) a. 1934 index bibliographicus haud minimi pretii.

Nec desunt opera latina conscripta, eorum quaedam scholastica ex. gr. P. J. Llobera S. I. Grammatica Classicae Latinitatis, quam Barcinone excudebat Eugenius Subirana a. MCMXX (pag. XXIV -579); Granero S. I. Stilistica latina seu Latinitatis notae quas in discipulorum commodum collegit atque ordinavit in Portuensi ejusdem Societatis Collegio a. MCMXXX; quaedam vero poetica, ex. gr. opera Josephi Fonts et Thomae Viñas a Sto. Aloisio Sch. P.

Josephus Fonts Latinitatis excultor egregius in Vicensi Seminario Latinae linguae praceptor, scripsit: «Tentamina Hexametri», «Episcopalia», «Odarum liber», «Nova Lira».

Thomas Viñas Sch. P. vir praeclaro ingenio et operoso calomo ornatus plura magnique momenti opera reliquit, quorum hic dumtaxat meminero «Carminum libri IV», «Versiones carminum Hispanicorum in Latinum», «Elementa artis metricae Latinae», «Versio latina Atlantidos poematis». Haec autem eum ostendunt linguae cultorem eximium.

Postremis his diebus P. Cayuela loculentari edidit disquisitionem de studiis classicis (*Humanidades clásicas*, Barcelona, 1940) maxime commendandam.

JOSEPHUS M.^a JIMÉNEZ, C. M. F.

¹ Dr. Grieria in Academia Optimarum Artium Barcinonensem cooptatus, recens V nonas Febr. receptus est. Hac data occasione amicum carissimum gratulamus

Bibliographia

E. Pérez Martínez. — LATÍN. *Primer libro.* — Publicaciones didácticas y científicas, Lib. E. Prieto, Madrid.

Numerus librorum qui pueros latinitatem doceant in dies apud nos excrescit; novum opus in promptu est, perspicuitate praecipue commendandum. Continet quae pueri primo latinitatis curriculo ediscere debent, quaeque expostulat programma Institutorum, non nullis tamen —quae difficiliora fortasse videntur—, praetermissis. Ea certe notata velim quae in pagella 104 monet auctor: Directionem et motum cum verbis *ire*, *ducere* dativo efferri, aut accusativo cum praepositione *ad*: «Eo Romae aut ad Romanam = voy a Roma»; at datus improbandus certe videtur, nisi in poëtis forsan inveniatur, et *ad nisi aequetur circa, numquam nominibus urbium adjicitur*. In pag. 103-104 asserit verba monendi semper efferri genitivo, sic; moneo eum periculi, pro quo genitivo multo melius ablativum cum *de* adhibebis.

Arturo Bini. — *L'uso vivo della lingua latina.* — Vallecchi editore, Firenze.

Optima sane mens et consilium cl. viri, qui, desiderio explendi vota et optata programmatis itali, hunc perscripsit librum, eo praesertim fine ut linguam latinam jam a primis annis et sermone et scriptione alumni velut vividam ediscant. Qua permotus ratione et consilio offert primo auctor vocabularium vocum, quae generatim in dictionariis desunt, rerum hodierno cultui respondentium. Plura certe vocabula apponi possent, ex quibus non nulla in medium protulerunt egregii in PALAESTRA nostra LATINA conscriptores; quae tamen ab auctore proferuntur optima videntur, ipseque certo incedit pede. Ex pluribus vocibus quae apta esse possent, unum deligere prae-

stabit, cetera retinere ad alias res designandas.

Post vocabularium, ut totum propositum exsequatur, Dnus. A. Bini excerpta proponit, quae vivum sermonem latinum toto temporum tractu demonstrent. Non nulla affert ex Evangelio, ex primis scriptoribus christianis, ex Dante et Petrarca, ex viris humanioris cultus: Aretilino, Pontano, Bembo, Sannazzarro, cet., ex superiore et ex nostra aetate: Manzonio, Leone XIII, J. Pascolio, V. Polydoro, cet. Deinde in sequentibus capitibus non nulla praebet ex scriptoribus italis: concinni dialogi, litterae, carmina et fabulae, quae omnia fere, ipse latine verterat auctor. Compleetur opus tractatu de Nova Italia et quibusdam Mussolinianis orationibus.

Optimum sane opus, quod multum conferre potest ad propagandum studium et amorem in latinum sermonem. Laudandus in primis Dnus. A. Bini ex solidio vocabulario.

Turany Ferenc, Dr. — *Rövid Latin nyelvtan*, Budapest. Vörösváry Szózorosítóipar. 1939.

Quam lectoribus offerimus grammaticam hungarica lingua exaratam, licet brevitate polleat; utiliora alumnis praebet ediscenda, illoque innititur principio: Non multum sed multa. Hac occasione arrepta, studium celebramus hungarorum qui latino sermoni maxime favent atque incumbunt; ea namque lingua ephemeris editur in primis pro latinitatis alumnis, «Juventus» nomine, et «Dictionarium bibliothecae Juventus» prodiit, quod auctorum operam ad nova vocabula in latino sermone admittenda colligit.

J. M. MIR, C. M. F.

BIBLOS, S. A. (Librería Subirana)

Puertaferrisa, 14.-Apartado, 203
BARCELONA (2)

Ha salido la novena edición de

Selecta ex optimis Latinitatis Auctoribus

Antología de latinidad clásica. - Volúmen 1.^o
Un vol. en 8.^o: Ptas. 8 en cartoné
Novena edición de la

GRAMATICA LATINA

por el P. Ignacio Errandonea, S. J.
Un volúmen en 4.^o: Ptas. 14 en cartoné
(11'50 en rústica)

Grammatica Classicae Latinitatis

por el P. José Llobera, S. J. 1 vol. en 4.^o
Ptas. 16'25 en rústica y 21'25 en tela.

Próxima aparición de la

Gramática Sucinta de la Lengua Griega

por el P. Ignacio Errandonea, S. J.

Apud Administratorem "Palaestrae Latinae" veneunt

Conlectio Palaestrae Latinae

ab anno MCMXXX ad ann. MCMXLI **75 ptarum.**

Primer Curso de Lengua Latina

adaptado al cuestionario Oficial **3 ptarum.**

Segundo Curso de Lengua Latina idem.

5 »

Historiae Sacrae Compendium para el I curso de latín

4 »

Epitome Historiae Graecae (2.^a edición)

para el II curso de latín **5 »**

P. Vergili Aeneidos liber secundus

para el IV y V curso de latín } con notas y vocabulario **4 »**
 } sólo texto latino **2 »**

Prudentii Carmina Selecta para el VI curso de latín

6 »

Faenus pro bibliopolis et professoribus

majus vel minus erit prout major vel minor sit exemplariorum postulatio. Itaque si de exemplaribus agatur supra 10=20 %, supra 25=25 %, supra 50=30 %, supra 75=35 %.

Omnia haec opera requiri possunt a

"Palaestrae Latinae" Administratore - Lauria, 5. - Barcinone

RELOJES, PIPAS Y PORTAMINAS

REPARACION DE PLUMAS

ESTILOGRAFICAS

ESPECIALIDAD

EN PLUMAS DE MARCA



Casa de la ESTILOGRAFICA

SELLOS de GOMA y GRABADOS

**VENTAS
MAYOR Y
DETALL**

Fontanella, 19 - Teléfono, 12133
BARCELONA



in Latinum
 translata a R.
 P. Ludovico
MARCOS
 C. M. F.
 Villae Rosarii
 in Argentina
 litt. Lat.
 Professore.

XLVIII

Viribus jam fere deserti arborem obstantem in medio itinere concendere aggressi sunt.




XLIX

Cujus stipitem cornu transfodiebat rhinoceros, dum Titus imis adhaerens ramis pendulum canem sclopeto sustentabat.



L

Horrendo nixu arborem evellit rhinoceros. Titus sclopeti capulo summitatem contundit cornus, ne arbor excidat.



LI

Prospere res abibant Tito et Melampo, improvidis instantis funeris.

